

Y 2
3890



V. 3^a F.

(cat. 4, 65-69.)



Inhalt:

- 1, Privilegia imperialia universitatis Fridericianae. Halae Magd. (1693.)
- 2, Beschreibung der Ceremonien mit welchen die neuen Doctoren in Halle den 11 Julii 1694 inaugurirt worden. Gellen v. J. Syon v. J.
- 3, Derselben. Gellen v. J.
- 4, Beschreibung der Fron-Posten Pfl. Hoff; Ludwig III. Kön. solenne Inauguration der Loindwils-Universität den 1 Julii 1694 ruffenreich. Gellen v. J.
- 5, Reges Academicae. Hal. 1714.
- 6, Thomas, Chr., Brief über die neuen yahrenen Professoribus ruffenreich. Gellen v. J. (1694.)



5966 31
17. 60
7
1693

**PRIVILEGIA
IMPERIALIA
UNIVERSITATIS
FRIDERICIANÆ.**



HALÆ MAGDEBURGICÆ
Sumptibus JOH. FRIDERICI ZEITLERI.
Imprimebat CHRISTOPH. ANDREAS ZEITLERUS, Acad. Typogr.

1
1. 4. 66.

PRIVILEGIA
IMPERIALIA
UNIVERSITATIS
ERDENSENSIS

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



VERLAG VON
H. W. MASDEBACH
LEIPZIG, JOH. FRIEDRICH ZETTLER
LEIPZIG, CARSTEN, ANDREAS ZETTLER, ACHT TYPEN





LEOPOLDUS,

Diuina favente clementia Electus Romano-
rum Imperator semper Augustus, Germa-
niæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ,
Sclauoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Bur-
gundiæ, Brabantia, Styriæ, Carinthiæ, Carnio-
læ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac
superioris & inferioris Silesiæ, VVirtembergæ
& Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspur-
gi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ Land-
gravius Alsatia, Marchio S. Romani Imperii
Burgouiæ, ac superioris & inferioris Lusa-
tiæ, Dominus Marchiæ Sclauonicæ,
Portus Naonis & Salinarum.

&c. &c. &c.



Gnoscimus & notum facimus tenore præ-
sentium Universis. Postquam DEI præpo-
tentis concessu ac munere, ad supremum
Majestatis Imperialis fastigium evecti sumus,
Officii nostri munus cumprimis requirere
existimamus, Majorum nostrorum Roma-
norum Imperatorum ac Regum (qui inter
alias supremæ potestatis curas, hanc præ-
cipue Dignitatis suæ dignam existimarunt,
ut varia in S. Romano Imperio Gymnasia, Academies, & Universa-
lia studia instituerent, fundarent & confirmarent) exemplo sollicite

curare, ut liberalium Artium ac Scientiarum studia, quæ ad Reipublicæ gubernationem & conseruationem necessaria & opportuna sint, excolantur, & conuenientibus honoribus ac præmiis excitentur, nostroq; auspicio felicia incrementa consequantur. Cum igitur Serenissimus FRIDERICUS, Marchio Brandenburgensis, Magdeburgi, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum & Wandalorum Dux, Burggravius Norimbergensis, & Princeps Halberstadii, Mindæ & Caminæ, Comes in Hohenzollern, S. Romani Imperii Archi-Camerarius, Princeps Elector, & Consanguineus noster charissimus, humiliter Nobis exposuerit, sibi jam pridem in eam curam incumbenti, qua ratione fideles suos subditos singulari quodam beneficio afficeret, cuius fructus non unius esset æui, neque in præsentem tantum redundaret, sed ætatem ferre, & in posteros deriuari posset, occurrisse animo, nihil æquè ad solidam & imperantium & parentum felicitatem conducere, quam si cogitationes eò conuertantur, ut Iuuentus, præsertim in maturiorem adolescens ætatem, postquam prima studiorum Tyrocinia in scholis inferioribus feliciter deposuerit, celsioribus disciplinis mancipetur, ac optimis quibuscunq; artibus imbuatur, & sub oculis ac in conspectu quasi Parentum in eos mores formetur, qui DEO grati, Reipublicæ utiles esse possint:

Sed cum inter cætera, quibus hæc acquiratur felicitas, primum sibi locum vindicent sublimiores Scholæ, tanquam Officinæ necessariæ, quæ prodeuntes ex Ludis Literariis adolescentes excipiant, ad studia reconditiora & superiores disciplinas manu quasi ducant, tandem probe exultos ad capeffenda Reipublicæ munia, tanquam ex penu depromant; Ac demissè Nos proinde dictus Serenissimus Princeps Elector rogarit, cum penè solus inter Inferioris Saxoniae Principes tali aliquo utilisimo Seminario destitutus sit, quatenus sibi potestatem concedere clementer dignaremur, ut in Civitate sua Halæ Saxonum, in Ducatus Magdeburgensis territorio sita, & S. Romano Imperio subiecta, tale sublimius Gymnasium sive Academiam erigere possit, quæ quoad privilegia & immunitates cum aliis per Germaniam, Italiam & Gallias privilegiatis studiis, (salua tamen semper nostrâ autoritate, salua itidem dicti Principis Electoris supplicantis & Successorum suorum suprema jurisdictione) æquo jure censeatur, in qua erigenda Academia singularum Facultatum Professores potestatem habeant, præuio & rigoroso examine, Doctorum, Licentiatorum, Magistrorum & Baccalaureorum titulos dignis & bene meritis elargiendi, qui quidem per eos promoti singulis gratiis, favoribus, & privilegiis, prout in aliis Universitatibus ejusmodi gradibus insigniti utuntur, frui, potiri & gaudere; Præterea Doctores & Scholares in erigenda Academia cum consensu sæpe fati Principis Electoris & Successorum suorum statuta condere, ordinationes facere, nec non Pro-

Recto-

Rectorem & Pro-Cancellarium (manente penes Principem Electorem, uti Fundatorem & Successores suos, dignitate Rectoris & Cancellarii) aliosq; Officiales Universitatis creare possint & valeant. Ut insuper in eadem Universitate Rectoratus munere functurus Comitativa Palatina exornetur, sibiq; Principi Electori supplicanti venia concedatur, conferendi arma & insignia singulis in Academia constituendis Facultatibus; Nos pro singulari, & benigna nostra, quam erga Serenissimum Principem Electorem Brandenburgensem gerimus, affectione, ejusdem precibus in hunc, qui sequitur, modum benigne annuendum duxerimus (prout hisce clementer annuimus) ac proinde dilectioni suæ potestatem erigendi in præacta Civitate Nobis & S. Romano Imperio sublimius Gymnasium siue Academiam, ac studium Uniuersale omnium LL. AA. ac Scientiarum in quouis Gymnasio, Universitate siue Academia per uniuersas nostras & S. Romani Imperii ditiones publice proponi ac doceri solitarum clementer concesserimus, quemadmodum hisce animo deliberato, ac maturo desuper habito consilio ex certa scientia facultatem & potestatem præfatam concedimus & largimur, ita videlicet, ut id Gymnasium siue Academia ac studiorum Universitas per dictum Serenissimum Principem Electorem Halæ Saxonum, (sine tamen præjudicio vicinarum Universitatum) erigi ac fundari possit ac valeat, & quodocunque erecta fuerit, cum omnibus in ea comprehensis Professoribus, Doctoribus, Scholaribus, adeoque Uniuersa Pube literis ibidem operam navante, aliisque ad eam pertinentibus personis, æquo jure censeatur, pari dignitate æstimeretur, omnibusq; immunitatibus, privilegiis, libertatibus, honoribus, franchisiis, sicut aliæ per Germaniam Universitates, earumq; membra, utatur, fruatur, potiatur & gaudeat.

Volentes & eadem autoritate nostra Cæsarea decernentes, quod Professores, & personæ idoneæ per memoratum Principem, Illiusue ad hoc delegatos deputandæ, possint & valeant in prædicta Universitate, seu studio Uniuersali profiteri, & Lectiones, Disputationes, atque Repetitiones publicas facere, Conclusiones palam discutiendas proponere, interpretari, glossare & dilucidare, omnesq; actus Scholasticos exercere eo modo, ritu & ordine, qui in cæteris Uniuersitatibus observari solet: Porro cum ipsa studia eò feliciori gradu procedant, & majus sumant incrementum, si ingeniis & disciplinis ipsis suus honos, seu dignitatis gradus statuatur, & e-meriti aliquando digna laborum suorum præmia consequantur; statuimus & ordinamus, ut per Collegia Doctorum seu Professo-

B

rum,

rum, electis ad id idoneis, & præ cæteris excellentioribus, si qui ad sumendam palmam certaminis sui idonei iudicati fuerint, adhibitis prius per ipsos Doctores & Professores, pro more & consuetudine solemnitatibus & ritu in cæteris Universitatibus observari solitis, rigoroso & diligenti examine (in quo conscientias ipsorum Professorum onerari volumus) eos, qui se examini submiserint, atque pro more, & juxta statuta Scholarchis per aliquos dignos & honestos Viros præsentari se fecerint, possint ad ipsum examen admitti, & invocata Spiritus S. gratia examinari, & si hoc modo habiles, idonei & sufficientes reperti atque iudicati fuerint, Baccalauri aut Magistri, vel Licentiati vel Doctores, pro uniuscujusque scientia & doctrina creari, & hujusmodi dignitatibus insigniri, nec non per bireti impositionem, & annuli ac osculi traditionem cæterisque consuetis solemnitatibus investiri, & solita ornamenta atque insignia dignitatum prædictarum eis tradi & conferri; quodque Baccalauri, aut Magistri, vel Licentiati, vel Doctores in eadem Academia promoti & promovendi, debeant & possint in omnibus locis & terris S. Romani Imperii & ubique terrarum & locorum libere omnes actus Professorum, legendi, docendi, interpretandi & glossandi facere, & exercere, quos cæteri Professores, Baccalauri, Magistri, Licentiati, & Doctores in aliis studiis privilegiatis promoti & insigniti exercent & exercere possunt & debent, de jure vel consuetudine.

Præterea recipimus eandem Universitatem, à sæpenominato Serenissimo Principe Electore in Ducatu suo Magdeburgensi, ut supra, erigendam, in nostram et Successorum nostrorum, Romanorum Imperatorum & Regum singularem protectionem, salvamguardiam atque patrocinium, volumusq; & decernimus per præsentem, quod Scholastici dignitatem seu gradum aliquem in dicta Universitate assumpturi gaudeant & potantur, uti, frui, gaudere & potiri possint & debeant, omnibus & quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus, privilegiis, franchisiis, concessionibus, favoribus & indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Universitas Heidelbergensis, Tubingensis, Colonienfis, Ingolstadiensis, Friburgensis, Rostochiensis, Julia Helmstadiensis, Argentoratensis, ac alia studia privilegiata, ac Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalauri & Scholastici in supra dictarum Facultatum una vel altera isthic promoti, aut aliqua dignitate seu gradu insigniti, gaudent, utuntur, fruuntur & potiuntur quomodolibet, consuetudine vel de jure. Non obstantibus aliquibus privilegiis, indultis

dultis, prerogativis, gratiis, statutis, ordinationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis ex certa nostra scientia, animo deliberato, & motu proprio, per hoc Diploma nostrum derogamus, & derogatum esse volumus, dummodo tamen nihil scandalosum, vel bonis moribus contrarium, aut S. Romani Imperii Constitutionibus adversum, siue Professores, siue Studiosi, ibidem doceant vel scribant, aut doceri, scribi in Lectionibus aut Disputationibus publicis proponi, aut scripto vel libris siue clam, siue palam vulgari permittant.

Concedimus insuper & elargimur benignam facultatem ac potestatem, ut Doctores & Scholares in erigenda Uniuersitate existentes ad exemplum reliquarum Academicarum, praeuio tamen consensu saepe fati FRIDERICI, Principis Electoris Brandenburgensis, Ejusque Successorum, statuta condere, Ordinationes facere, nec non Pro-Rectorem ac Pro-Cancellarium (quippe à libero Principis Electoris, uti Fundatoris, ejusque Successorum arbitrio & beneplacito dependere volumus, ut sibi ipsismet dignitatem Rectoris & Cancellarii referuent, aut si & quoties voluerint, Uniuersitati liberam & aliis Uniuersitatibus consuetam eligendi Rectores & Cancellarios facultatem elargiantur) nec non alios Officiales pro lubitu & exigentia creare & facere possint & valeant. Quo etiam nominatus Serenissimus Princeps Elector Brandenburgensis ejusque Successores, benignam animi Nostri propensionem, quoad hanc erectionem & foundationem magis magisque experiantur, motu, scientia & auctoritate, quibus supra Pro-Rectori ad eum, quo diximus, modum constituendo vel eligendo, siue Rectoratus munere deinceps in eadem Uniuersitate quoquo tempore functuro Comitiva Sacri Lateranensis Palatii, Aulaeque nostrae Caesareae & Imperialis Consistorii contulimus, dedimus & elargiti sumus, prout tenore praesentium clementer conferimus, damus & elargimur, eumque aliorum Comitum Palatinorum numero & consortio gratiose aggregamus & adscribimus.

Decernentes, & hoc Imperiali statuente Edicto, quod ex hoc perpetuo deinceps tempore, donec & quamdiu dicti Pro-Rectoris muneri praefuerit, infra scriptis Priuilegiis, gratiis, juribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus, consuetudinibus & libertatibus, uti, frui & gaudere possit & valeat, prout iisdem caeteri Sacri Lateranensis Palatii Comites hactenus usi et potiti sunt, seu

quomodolibet utuntur & potiuntur, consuetudine vel de jure. Ac imprimis ut possit & valeat, per totum Romanum Imperium, & ubique locorum & terrarum Notarios publicos, seu Tabelliones & Judices Ordinarios creare ac facere, & uniuersis personis, quæ fide dignæ, habiles & idoneæ fuerint (super quo conscientiam ejusdem Pro-Rectoris oneratam volumus) Notariatus seu Tabellionatus & Judicatus Ordinarii officium concedere & dare, ac eos & eorum quemlibet per pennam & calamarium, prout moris est, de prædictis investire, dummodo tamen ab iisdem Notariis publicis seu Tabellionibus & Judicibus Ordinariis per eum creandis, ac eorum quolibet vice ac nomine Nostro & Sacri Imperii, & pro ipso Romano Imperio debitum fidelitatis recipiat corporale & proprium juramentum in hunc videlicet modum: Quod erunt Nobis, & S. Romano Imperio, omnibusque Successoribus Nostri Romanorum Imperatoribus ac Regibus, legitime intransibus, fideles, nec unquam intererunt consilio, ubi nostrum periculum tractetur, sed bonum & salutem nostram defendent fideliter & promouebunt, damnaque nostra pro sua possibilitate vetabunt & auer-

gent.

Præterea Instrumenta omnia tam publica, quam privata, ultimas voluntates, Codicillos, Testamenta, quæcunque Judiciorum acta, ac omnia alia & singula, quæ ipsis & cuilibet ipsorum ex debito dictorum Officiorum occurrerint facienda vel scribenda, juste, pure, fideliter, omni simulatione, machinatione, falsitate & dolo remotis, scribent, legent, facient atque dictabunt, non attendendo odium, pecuniam, munera aut alias passiones & favores; scripturas vero, quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis, non chartis abrasis aut papireis fideliter secundum locorum consuetudinem conscribent, legent, facient atque dictabunt: Causas hospitalium aut miserabilium personarum, nec non pontes & stratas publicas pro viribus promouebunt, sententiasque & dicta testium, donec publicata fuerint & approbata, sub secreto fideliter retinebunt, ac omnia alia & singula, recte juste & pure facient, quæ ad dicta officia, quomodolibet pertinebunt, consuetudine vel de jure. Quodque hujusmodi Notarii Publici, seu Tabelliones & Judices Ordinarii per eum creandi possint & valeant per totum Romanum Imperium & ubilibet locorum ac terrarum facere, scribere & publicare contractus, Judiciorum Acta, Instrumenta, & ultimas Voluntates, Decreta quoque & autoritates in-

terpo-

terponere, in quibuscunque contractibus tale quidpiam requiren-
tibus, ac omnia alia facere, publicare & exercere, quæ ad officium
Notarii publici seu Tabellionis & Judicis ordinarii pertinere & spe-
ctare noscuntur. Decernentes, ut omnibus Instrumentis & Scri-
pturis per huiusmodi Tabelliones, Notarios publicos, sive Judices
ordinarios faciendis plena fides ubique adhibeatur in iudicio & ex-
tra, Constitutionibus, Statutis & aliis in contrarium facientibus non
obstantibus quibuscunque.

Similiter eadem auctoritate nostra Imperiali prænominato
Pro-Rectori, seu Rectoratus munere functuro indulgemus, ut pos-
sit & valeat personas idoneas, & in Poëtica Facultate excellentes per
Laureæ impositionem, & annuli traditionem, Poëtas Laureatos fa-
cere, creare, & insignire, qui quidem Poëtae Laureati sic creati & in-
signiti possint & valeant in omnibus Civitatibus, Communitatibus,
Uniuerſitatibus, Collegiis & Studiis, quorumcunque locorum & ter-
rarum S. Romani Imperii, & ubique libere & absque omni impe-
dimento & contradictione in præfata Artis Poëticæ scientia legere,
repetere, scribere, disputare, interpretari & commentari, ac cæteros
Poëticos actus facere & exercere, quos scilicet cæteri Poëtae & Laurea
Poëtica insigniti facere & exercere consueuerunt, nec non omni-
bus & singulis ornamentis, insignibus, priuilegiis, prærogativis, ex-
emptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, præeminentiis,
favoribus & indultis, uti, frui, potiri & gaudere, quibus cæteri Poëtae
Laureati ubivis locorum & Gymnasiorum promoti, fruuntur, gau-
dent & utuntur, consuetudine vel de jure.

Insuper sæpèdicto Pro-Rectori concedimus & elargimur ple-
nam facultatem, quod possit & valeat naturales, bastardos, spurios,
manseres, nothos, incestuosos, copulative vel disiunctive, & quos-
cunque alios, etiamsi infantes fuerint, præſentes vel absentes, ex illi-
cito & damnato coitu procreatos vel procreandos, masculos & fœ-
minas, quocunque nomine censeantur, existentibus vel non exi-
ſtentibus aliis filiis legitimis, iis etiam aliter non requisitis, viuentibus
vel etiam mortuis eorum Parentibus, (Illustrium tamen Princi-
pum, Comitum & Baronum filiis duntaxat exceptis) legitimare, &
eos, ac eorum quemlibet ad omnia & singula jura legitima resti-
tuere, omnemque genituræ maculam penitus abolere, ipsos resti-
tuendo & habilitando ad omnia & singula jura ſuccessionum & he-
reditatum, bonorum paternorum & maternorum, etiam ab inte-
ſtato cognatorum & agnatorum, ac ad honores, dignitates, & ſin-
gulos

gulos actus legitimos, tam ex contractu vel ultima voluntate, quam alio quocunque modo, tam in iudicio, quam extra, perinde ac si de legitimo matrimonio essent procreati, objectione proli illegitima penitus quiescente. Quodq; illorum legitimatio per ipsum, ut supra, facta, pro iuste & legitime facta maxime habeatur & teneatur, non secus, ac si foret cum omnibus iuris solennitatibus, quarum defectus specialiter auctoritate Imperiali suppleri volumus, & intendimus, dummodo tamen legitimaciones huiusmodi non præjudicent filiis & heredibus legitimis & naturalibus, quin ipsi legitimandi, postquam sic legitimati fuerint, sint & esse censeantur ac nominentur, ac nominari possint & debeant, ubique locorum tanquam legitimi, ac legitime nati de domo, familia, & casata parentum suorum, ac arma & insignia eorum portare, ferreque possint ac valeant, quinimo efficiantur Nobiles, si Parentes eorum Nobiles fuerint, non obstantibus aliquibus Legibus, quibus cauetur, quod naturales, bastardi, spurii, manseres, nothi, incestuosi, copulatiue vel disjunctiue, vel alii quicunque ex illicito & damnato coitu procreati, vel procreandi, nec possint, nec debeant legitimari, liberis naturalibus legitimis existentibus, vel sine voluntate & consensu filiorum naturalium & legitimorum, aut agnatorum, aut feudi Dominorum, & speciatim in Auth. quibus mod. natural. effic. legitim. §. quib. mod. natur. effic. sui. per tot. & §. naturales, si de feud. controv. fuerit int. dom. & agnat. & L. Juhemus 6. de emancip. liber. & aliis similibus, quibus Legibus & cuilibet ipsarum volumus, expresse, scienterque derogari, neque etiam obstantibus in prædictis aliquibus contrahentium dispositionibus, & defunctorum ultimis voluntatibus, aliisque Legibus, eorumque statutis & consuetudinibus, etiamsi tales essent, qui exprimi deberent, aut de quibus hic mentio specialiter facienda esset, quibus obstantibus & obtare volentibus, in hoc casu duntaxat ex certa scientia & de plenitudine Cæsareæ nostræ potestatis totaliter derogamus, & derogatum esse volumus.

Adhæc præfato Pro-Rectori, siue Rectoratus munere functuro damus, & concedimus, ut possit ac valeat Tutores ac Curatores confirmare, ipsosque causis legitimis subsistentibus amovere: Infames tam iuris, quam facti ad famam restituere, & omnem ab eis infamiae notam abstergere tam irrogatam, quam irrogandam, ita, ut de cætero ad omnes & singulos actus apti & idonei habeantur, & promoueri possint, nec non filios adoptare, & arrogare, & eos adoptiuos & arrogatos facere, constituere & ordinare; Insuper filios legitimos & legitimandos, adoptiuosque emancipare, & adoptio-

ptionibus & emancipationibus quibuscunque omnium & singulorum etiam infantium & adolescentium consentire, & veniam ætatis supplicanti- bus concedere auctoritatemque & Decretum interponere, seruos etiam manumittere, manumissionibus quibuscunque cum, vel sine vindicta, & minorum alienationibus ac alimentorum transactionibus auctoritatem pariter & Decretum interponere: Minores quoque, Ecclesias & communitates læsas, altera parte ad id prius vocata, in integrum restituere, ac integram restitutionem eis vel alteri eorum concedere, juris tamen ordine semper seruato.

Postremo concedimus & elargimur sæpe mêmorato Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi liberam facultatem & potestatem singulis in Uniuersitate constituendis Facultatibus peculiaris conferendi arma & insignia quibus in publicis Scriptis, Edictis, Mandatis, alisque actibus loco sigilli, pro rei necessitate, & voluntatis arbitrio uti possint & valeant; salvis tamen quoad prædicta omnia auctoritate nostra Cæsarea nec non ipsius Fundatoris & Successorum suprema jurisdictione, meroque imperio, ac aliorum quorumcunque iuribus. Nulli ergo omnino hominum, cuiuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis aut præminentia fuerit, liceat hanc nostræ concessionis, erectionis, confirmationis, indulti, protectionis, Comituae Palatinae, & aliorum supra insertorum Priuilegiorum gratiam vel facultatem infringere, aut eo quouis auso temerario contraire, seu illam quouis modo violare. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem grauissimam, & pœnam quinquaginta Marcarum auri puri toties, quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursum, quarum dimidiam Imperiali Fisco seu Ærario nostro, reliquam vero partem supra nominato Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi, Ejusque Successoribus decernimus applicandam. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die decima nona Mensis Octobris, Anno millesimo, sexcentesimo, nonagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani, trigesimo sexto, Hungarici trigesimo nono, Bohemici vero trigesimo octavo.

LEOPOLDUS.

P. P.
LEOPOLDUS GVILIELMUS
Comes in Kinigsegg.
Ad Mandatum Sacrae Cæsaree Majestatis proprium
LUTZO DOLBERG.

quibus & emendationibus quibuslibet omnibus & singulis
sunt etiam instituta & adolebantur consuetudine & veritate
tatis sublimitate concedere autem de Decretis in
reponere, sed etiam manumittere, in institutionibus quibus
quod cum, vel sine iudicio, & minorum alienationibus ac
instituta transgressionibus autem pariter & Decretis in
reponere: Minores quodque, Ecclesias & communitates laicas, ab
tota parte ad id per nos vocati, in integrum restituere, ac integram
restitutionem eis vel alii eorum concedere, nisi tamen ordine
scripto fuerit.

Postremo concedimus & clauimus, ut de iure merito
suo Principi Electori Brandenburgensi libere facultatem de po-
testate singulari in Universitate constituendis Facultatibus per-
sua concedendi, armis & insigniis p. libere in publicis sedibus, Edi-
cis, Mandatis, aliisque actibus loco sigilli, pro rei necessitate, &
voluntate arbitrio ut possit & valeat; sed tamen quod per
dicta omnia auctoritate nostra Cetera nec non ipsius Fundationis
& Successorum ipsius iurisdictione, modoque impedito, ac ali-
qua quorumlibet iuribus. Nulli ergo omnino hominum co-
ntrari fas est, gradus, ordinis, dignitatis, aut preeminencie in-
ter, licet hac nostre concessionis, erectionis, confirmationis in-
diti, protectionis, Commune Palatinus, & aliorum supra inter-
tum Privilegiarum gratiam vel facultatem infringere, aut eo quo-
vis modo temerario contraire, seu illam quovis modo violare. Si
quis autem id attentare presumpserit, nostram & Imperii Sacri In-
dignationem gravissimam, & poenam quinquaginta Marcarum
aut per totos fines contra factum fuerit, se noverit incursurum.
Illius inculturam, datum dimidiam Imperialis Fisco seu Aulario
nostro, residuum vero partem supra nominato Secretissimo Prin-
cipi Electori Brandenburgensi, siquidem Successoribus decernimus
applicandam. Harum testimonio litterarum manuum nostrarum sub-
scriptarum, & sigilli nostri Ceteri approbatione munitarum. Quae
dabantur in Civitate nostra Viennae, die decima nona Mensis O-
ctobris Anno milllesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Regno
tum nostrorum Romanorum Imperatoris Hungarici Regis, et no-
no Bohemici regis regnum octavo.

LEOPOLDUS

LEOPOLDUS GAVILLIEMUS
Comes in Kynigsberg
de Mandatum Saxe Ceteri Magistri program
JUSTO DORBERG



Y 6 3890
4°


ULB Halle 3
002 168 995



sb

V 77





5966

31

17. 60

PRI
IMI
UN
FRI

GIA
LIA
TIS
NÆ.

1693

Sump
Imprimebat C

ITLERI.
rus, Acad. Typogr.



1. 4. 66

